



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. VVenefridae Virginis & Martyris: Ex ea quæ est per Robertu[m]
Abbate[m] Salopiensem. Claruit circà annum Domini 660.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

ad⁴ Andainum suæ diocesis monasterium in Arduennam transtulit: vbi frequenti fidelium cōkursu eius memoria propter gloriam miraculorum magna deuotione celebratur. Porrò Hugonotæ ex Gasconia Belgium intolantes Anno 1568. memoratum Cænobium exusserūt; dumq; eorum vesana rabie omnia effracta forent, hoc solum intactum supererat, quo huius gloriosi Antistitis corpus asseruabatur: vnde in media luce obcæcati, aorasia videntur diuinitus percussi.

VITA S. VVENEFRIDAE VIRGINIS

& Martyris: Ex ea quæ est per Ropertū Abbate Salopiensem. Claruit circa annum Domini 660.

BEVNOVS vir multis virtutib. in Occidentali maioris Britannię regione clarus, cōtempo paterno solio pauper aufugit, factusq; monach⁹ eò perfectionis breui euasit, vt multa diuersis in locis cōderet monasteria, fratresq; cælesti disciplina præclare informaret. Diuinitus verò quadã nocte admonitus, vt alio migraret, destinata sibi à Domino questurus habitacione, tandē ad prædiū Teuthi hominis potētissimi peruenit: à quo benignè susceptus quandam possessionum eius insuper (vti ab eo petierat) accepit portionem, vt in ea Ecclesiam extrueret, & purum Deo pro eius salute famulatum exhiberet. Igitur cum vir Dei spectata vitæ & morum integritate clarissimè eniteret, Teuthus vnica filiam suã, VVenefridam nomine, optimis moribus imbuendam ei commendauit: quam ille suscipiens ad pedes suos federe, & sacras conciones, quas ad populum habebat, attenta mente au-

⁴ Andagium. Translatio reliquiarum ei⁹ Andainã in Arduennam. Ibidem miraculis claruit. Insigne miraculum.

Vide Not. C. Bayon in ad Martyr. Rom. & Ioan. Molan. in Addit. Mart. Vsuuardi.

3. Nouem.

Instituitur à Beunoo presbytero.



dire iussit. Vnde factum est, vt virgo indies in studio sapientiae mirifice proficiens, se ab omni viri toro prorsus seiuingeret: quò liberius dulcedine caelestis disciplinae iam inesceret Christo vacaret.

Accidit autem quodam Dominico die, vt parentibus eius, qui filiae suae puritate & sanctimonia magnoperè delectabantur, in Ecclesia pietatis studio incumbentibus, illa domo necessariò sola resideret. Quod cum Cadocum

Cadocum Regis filium eam ad concubinum prouocauit.

Alani Regis filium minimè lateret, eò protinus aduolauit, eamque ad focum solam sedentem inueniens, ita compellauit: Scis me esse Regis filium, multis opibus & honoribus conspicuum; qui te, si modò voluntati meae parere velis, magis opibus augere possum. Sentientem autem virgo suae pudicitiae infidias strui, demisso paululum vultu, & rubore suffusa, primò quidem grauem praese tulit dolorem, quò ad eò inculam ipsam inuenisset, aitque ad eum: Cum sis regio ortus stemmate, & Deo volente, regni gubernacula suscepturus, non dubiteme diuitem & beatam posse fieri, si tuo coniugio assentiar. Sed quaeso te sustine parumper aduentum parentis mei. Interim ego cubiculum ingrediar; moxque ad te reuertar. Dixit hoc, vt posset ab illo se subducere; quem flamma libidinis incensum, haud parum ab amentis distare videbat. Itaque cubiculum iuuenis permissu (quòd eam benè compram ilicò redieram putaret) ingressa, per aliud cubiculi ostium praepeti curru ad ecclesiam contendit. Quo ubi sensit iuuenis, magno furoris aestro percussus, districto ense eam celeriter insequitur, totiusque

quæque luminibus inuens, Olim, inquit, te a-
 maui, mihi que te coniungere volui, & tu nunc
 ad te venientem fugis, & habes contemptui?
 Per ego hanc dexteram iuro, nisi mihi sponte
 tui modo copiam feceris, confestim hoc mu-
 nerone caput tibi auferam. Ad ea cōstanti & in-
 fracto animo virgo respondit; Ego Regi æter-
 no matrimonio iuncta, in eius contumeliam
 alium admittere non possum: Quare quidquid
 erit libitum exequere. Me enim neque terro-
 res tui; neque blanditiæ; nec promissa; nec mu-
 nera; ab illius amore suavissimo poterūt sepa-
 rare: cuius castis amplexibus astricta sum. Tūc
 verò incestus iuuenis, cernens se à virgine cō-
 temni, libidinis impotentia victus, caput ei
 cruenta manu præcidit. Simul autem atq; cor-
 pus virginis humi collapsum est, fons illic mi-
 ræ perspicuus & ingens confestim erupit; qui
 hodieque manare nō desinens multis morbi-
 dis admodum salutaris existit.

Perpetrato tam immani facinore, cū cruen-
 tus homicida, vt potè Regis filius, nullā time-
 ret vindictam; Beunon^o animi eius superbiam
 non ferens, accepto in manibus capite, ad eum
 accessit, aitque: ò te scelestū, qui regis dignita-
 tis puellam crudeliter iugulasti; cur te tati fla-
 gitij non poenitet? Quando ergò nec ecclesie
 pepercisti, quā fuso eo virginis sanguine pro-
 fanasti, nec diei Dominico reuerentiam exhi-
 buisti, oro Deum meum, vt in præsentia tibi
 pro meritis reddat. His dictis iuuenis repente
 corruens expirauit, corpusque eius colliques-
 cens disparuit; multis afferentibus, illud in
 tartara cum anima descendisse.

Dd 3

Porro

*Egredia vir-
 ginis pro-
 tuenda pud-
 citia, con-
 stantia.*

*Caput ei au-
 putatur à
 Regis filio.
 De hoc per-
 enni fonte,
 & miraculis
 illic fieri so-
 litis, Baron.
 maiora. his à
 fidelissimo*

*teste oculato
 Reuerendis.
 D. Thoma B-
 piscopo A-
 saphensi Ro-
 mani Ponti-
 ficis. Suffra-
 ganeo acce-
 pisse testa-
 tur. In Not.
 hoc die.
 Diuina vl-
 tione repen-
 tē perit Ca-
 doctm.*

Porro vir Dei caput virginis crebro deoscu-
 las, à lachrymis sibi téperare nō poterat. Deinde
 corpore illud apponens suoq; pallio contē-
 gēs, ad altare Misā celebraturus accessit. Eas-
 dita, redit ad corpus virginis, & cōcione lucen-
 ter ad populū habita, sanctā virginē voti
 Deo nuncupasse annunciat: quod ut reddere
 possit, prolixis admodū precibus cū vniuersa
 plebe pro ei⁹ resuscitatione incubuit. Quibus
 tandē expletis, puella, quasi è graui somno euig-
 ilans, puluerem & sudorē à facie detergit, om-
 nesq; illic adstantes gaudio & admiratione
 afficit. Mansit autem in collo eius quoad vixit,
 tanquā candidi fili species, locū sectionis ob-
 tegēs: aiuntq; viri regionis illius, indē eā VVe-
 nefridam dictam; cū antea, ut ipsi affirmant,
 Breuna appellaretur. VVen enim Britannica
 lingua, idem est, quod Latine candidum: Porro
 Euphoniae causa, prioris vocabuli duabus liti-
 ris mutatis, dictam VVenefridam.

Locus autem ille vbi sanguis eius fusus est,
 nō longē à monasterio Basinguercko in Nou-
 uallia, antea quidē Sicaualis dictus est: post
 eius verò obitum vsque in præsens, Fons VVe-
 nefridae appellatur. Lapidēs quoque tam in
 fontis scaturigine quam in riuo illius, seu v-
 triusque margine, sacro eius adpersi cruore,
 & sanguinis eius tāquam congelati manifesta
 retinent vestigia; & neque temporis diuurni-
 tate, neque aquae præterfluentis alluione ab-
 oleri queunt. Mucus autem lapidibus illis in-
 hærens, thus redolet. Homines regionis illius,
 qui Euangelicæ veritatis lumen nondum rece-
 perant, virginem rediuuam, fontem aquarū
 manan-

*VVenefrida
 à morte sus-
 citatur.*

*Fons VVe-
 nefridae.*

*En mira-
 quedam.*

*Multi vixis-
 mirabilibus
 credunt in
 Christum.*

manantem, & petras sanguine adspersas vidē-
 tes, ad pedes beati Beunoī se abiecerunt, & sa-
 cro latice expiati sunt. Tandem autē sanctissi-
 ma virgo accepto ab eodem viro Dei sacro ve-
 lamine nobilium virgines cōgregavit, easque
 castissimis moribus diligenter imbuit, & san-
 ctioris disciplinæ amore incensas, Christi ser-
 vitio mancipavit. Defuncto autem beato Beu-
 noo, VVenefrida diuinitus admonita, ad locū,
 quem VVithericum vocant, accessit, vbi ab
 Abbate Elerio, multis virtutibus ornato, &
 celestibus rebus tota mente intento, reue-
 renter excepta, & in virginum monasterium
 introducta fuit: quarum deinceps curam ha-
 buit. Ibi sanè quisquis ad illam æger accessis-
 set, incolumis ab ea recessit: mœrentes omnes
 animi lætitiā reportârunt. Tandem nocte
 quadam oranti Iesus Christus apparuit,
 indicavitque propediem ipsam è corpore de-
 cessuram. Itaque quarto Nonas Nouemb. ple-
 na virtutibus & operibus bonis, spiritum Deo
 reddidit: sepultaque est iuxta sanctum Che-
 beam & Senanum: vbi, inter alia miracula, fa-
 bri cuiusdam filia ab ipso ortu cæca, lumen re-
 cepisse memoratur. Ceterum anno Christi 1138.
 sacræ eius reliquiæ Solopiam in monachorum
 monasterium translatae sunt.

*Instituit mo-
 nasterium S.
 VVenefrida.*

*S. VVenefri-
 da proficitur
 virginibus,
 & claret
 miraculis.*

*Feliciter mi-
 grat ad Do-
 minum.*

*Tumulus e-
 ius miracu-
 lus celebris.*

*Translatio
 reliquiarum
 eius.*

MARTYRIVM SS. AGRICOLAE ET
 Vitalis: Ex D. Ambrosii Adhortatione ad Vir-
 gines. a Passi sunt Anno Christi 303. Marcel.
 Pap. 7. Dioclet. & Max. Imp. 20.

*a Teste C.
 Baron. Tom.
 2. Annal.
 Vide &
 Notat. ad
 Martyr.
 Roman.*

Dd 4

AGRI-

Roman.